DISSERTATIO SOLENNIS PATHOLOGICO-MEDICA

QVA

GRAVIDITAS APPARENS

TVMORE OVARII DEXTRI ENORMI ORTA

PER TRES ANNOS CVM DIMIDIO DVRANS

TANDEMQVE IN ASCITEM TERMINATA

PRAESIDE

N. ABRAHAMO VATERO

PHILOS. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.

ANATOM. ET BOTAN. SVBSTITVT.

NEC NON

SOCIETATVM IMPER. NAT. CVR. GERMAN.

ET REG. ANGLIC. SOCIO

PRO LICENTIA

MMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

ET PRIVILEGIA MORE MAIORVM CAPESSENDI

EXPENDITVR ET

D. IV. AVGVSTI M DCC XXII.

SPECIMINIS INAVGVRALIS LOCO

AD DISCEPTANDVM EXPONITVR

a

PAVLO GOTTLOB BERGERO

ILEBVRG. MISN.

MEDICINAE CANDIDATO.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

urae Explicatio.

C. D. Ouarium dextrum inſigniter expanſum, ac totum in hydatides, muco plenas, degeneratum, figuram & magnitudinem uteri praegnantis exhibens.

pertura per medium facta, per quam hydatides numeroſiſſimae *b.*, uariae magnitudinis, prodibant.

Iydatides, apertione tumoris denudatae.

Hydatides, tunica externa ouarii adhuc tectae.





E. F. G. Fundus ut
tus.

d. Incifio in eo fa

e. Tuba Fallopiana

f. Ouarium finiftru

g. Ligamenta uteri

h. Ligamenta uteri
uefpertilionu

i. Collum uteri.

k. Orificium uteri i
ualde tumid
tenfionem, a
& tractione u

l. Tubae Fallopia
trae ueftigiu



Q. D. B. V.

PRAEFATIO



enerationis in animalibus negotium, uti abſtruſiſſimum, & ab humanorum acie oculorum remotiſſimum eſt, ita ab omni tempore naturae miraculum merito reputatum fuit, in quo plenarie detegendo ſagaciſſimi naturae uenatores, adhibita licet omni induſtria, fruſtra ſe tandem laboraſſe, ſenſerunt. Mirum propterea neminem habere debet, illos in hoc delineando tantopere titubare, ac in tam uarias circa conceptionem, foetus formationem, atque partum, ſententias abire. Conceptionem quidem alii in ouario, alii uero in utero fieri, diſputant, quidam eam ab animalculo, quidam a ſpirituoſa

ſeminis maſculini aura peragi, contendunt. Formationem corporis alii animae, aut principio cuidam plaſtico, adſcribunt, alii e contrario a ſtaminum, in ouulo praeexiſtentium, extenſione atque explicatione deriuant. Partum ipſum quidam defectui nutrimenti, quidam ſpatii anguſtiae, quidam aëris liberioris denegationi, alii legi naturae adiudicant, ob quas cauſas foetus diutius in ergaſtulo ſuo contineri nequit, ſed exitum ſibi parat. Tempus quoque pariendi, in homine quibusdam uidetur incertum, quod alii in hoc, aeque ac in brutorum familia, certiſſimum eſſe, demonſtrant. Praecipue uero grauiditatem ueram, a ſpuria & apparente diiudicare, difficillimum deprehenditur opus, quamobrem de ſignis certis ac infallibilibus cogitare coacti ſunt Medici, quibus illa ab hac diſtingui poſſit, & debeat. At nec talia ſufficientia ſemper adeſſe, docent caſus ſingulares & rariores, ubi foeminae, praecipuis licet ingrauidationis ſignis apparentibus, partum tamen nullum ediderunt. Exemplum huius rei ſat curioſum, nobis ante duos annos, hic loci uidere contigit in muliere, quae, ob ſigna quaedam impraegnationis apparentia, grauida ſibi aliisque viſa eſt. Tempore autem partui

deſti-

destinato praeterlabente, ac tumore abdominis in nimiam molem accrescente, spes tandem omnis partus futuri euanuit. Foemina nihilosecius constanter in ea opinione permansit, se uere grauidam fuisse, foetumque in utero mortuum aut corruptum, aut induratum in corpore adhuc latere. Ea de causa ipsa a nobis, repetitis precibus, efflagitauit, ut corpus eius post mortem, sibi imminentem, aperiremus. Foemina proinde, elapsis ab impraegnatione imaginata, tribus annis cum dimidio, fatis defuncta, hunc laborem tanto lubentius in nos suscepimus, quanto maior spes nobis affulsit, fore, ut notatu digna quaedam obseruatio oculis nostris se exhiberet, in quo nequaquam nos fefellimus. Aperto enim cadauere, ouarium dextrum, in insignem tumorem expansum, inuenimus, qui grauiditatis huius apparentis, ac ascitis subsecuti causa extitit. Operae igitur pretium facturos nos esse duximus, si casum istum, haudquaquam uulgarem, in praesenti, loco speciminis inauguralis exhiberemus, eiusque occasione de grauiditate falsa commentaremur. Quod ut Deus Ter Optimus Maximus, ad sui gloriam, aegrorumque salutem dirigat, optamus, piisque precibus efflagitamus.

Historia

Mulier, quadraginta & aliquot annos nata, poſtquam, partu perquam difficili, gemellos procreaſſet, de nouo impraegnationis ſigna percipere ſibi uidetur. Retinentur in ea menſes, ad hoc usque tempus fluentes, abdomen ſenſim incipit intumeſcere, lacti ſimilis liquor in mammis turgeſcit, motus quoque, foetum mentientes, in abdomine ab ipſa ſentiuntur. Conſtanter enim illa affirmauit, ſe artus embryonis, abdomen percutientes, manu eidem applicata, tactu iudicare potuiſſe, in quo quidem maximopere ſe fefellit. Superueniente uero, uti ipſa referebat, lapſu grauiori, motus hi ceſſant, tempus partui praeſcriptum tranſit, tumore nihiloſecius uentris, duriori quidem, ſed primum non adeo ponderoſo, ac moleſto, permanente. Quid itaque mirum eſt, quod illa ſibi perſuaſerit, foetum in utero extinctum permanſiſſe, praecipue, quoniam illa primum, praeter tumorem iſtum, nil quicquam mali ſenſit. Succeſſu tamen temporis, omnia in peius abire ceperunt, intumeſcentia abdominis nimium quantum creuit, reſpiratio difficilior reddita, ingreſſus moleſtior factus: donec, abdomine ad rupturam usque aucto, expletis tribus annis, cum dimidio, miſera tandem fatis ſuccumberet. Deſiderio foeminae demor-

tuae, ac mariti non minus, quam curiositate rei excitati, ad sectionem corporis statim accessimus. Abdomine autem durissimo inciso, ultra XXX. mensurae aquae flauescentis foetidissimae effluebant, naribus spectatorum non parum molestae. Liquore exhausto, in conspectum prodiit tumor insignis, caput humanum magnitudine superans, figurae oualis, quem omnes statim uterum, monstri quidpiam alentem, augurabant. Eodem uero inferius ab angusto suo principio resecto, ac transuersim inciso, nullam in eo cauitatem, uterinae cauernae similem, detegere licuit, sed totus ex capsulis rotundis, diuersae magnitudinis, liquido mucoso atque purulento repletis, coagmentatus uidebatur. Sedem itaque uteri naturalem, cauitatem peluim uocatam, ulterius perlustrantes, nil uteri simile apparuit, usque dum in uaginae prolapsum inquisituri, manum in ossis pubis hiatum intruderemus, quo ipso uterum, intra pudendum egressum, ad interiora retraximus. Tum demum igitur clarum redditum est, tumorem istum praegrandem non uterum, sed ouarium dextrum, in hanc molem excretum, esse. Viscera abdominis reliqua nil omnino labis monstrarunt, praeterquam, quod ab aquis putridis, tamdiu ibi stagnantibus, corruptio ingruens in superficie se manifestaret. Renes tamen

flac-

flaccidi, & ureteres, inprimis dexter, ob tumoris ad illud latus inclinationem, ampli, ac urina repleti, obſeruabantur, ita, ut dexter ad digiti craſsitiem accederet, ac, in ſuo e rene egreſſu, ſaccum, nucis juglandis capacitate, exhiberet, ueſica non minus urinaria exigua & contracta, ac omnino uacua reperiebatur.

THES. I.

Priusquam ad exempli praeſentis, grauiditatis falſae, contemplationem nos accingamus, non inutile fore, exiſtimamus, conceptionem atque ingrauidationem ueram, eiusque ſigna examinare. Mittimus autem, & conſulto negligimus ea, quae de animae humanae ortu, de corporis ab anima fabricatione, de generatione animalium ex animalculis, in ſemine maſculino fluctuantibus, perhibentur, ac diſputantur. Ea enim omnia, utpote altioris indaginis argumenta, controuerſias inanes & ſuperfluas, nullo quidem pacto terminandas, generant, multisque erroribus, cum religione & ratione pugnantibus, praebent occaſionem. Etenim quis tanto gaudet ingenii acumine, ut idoneis rationibus demonſtret, quomodo anima noſtra a parentibus procreetur, quando-

doquidem religioni repugnat, animas omnes primitus jam tum una & ſemel a Deo creatas eſſe, aut adhuc hodie ſingulis generationum actibus ab Eo creari. Corporum quidem animalium rudimenta in primorum uiuentium ouariis, ac humanorum ſigillatim in Euae ouario iam tum creata fuiſſe, & praeextitiſſe, rectius cum *Swammerdammio*, *Malpighio*, & Celeberrimo *Bergero, de Nat. Human. L. II. c.* 1. ſtatuendum erit, quoniam hoc nec religioni, nec rationi contrariatur. Quamuis enim hoc intellectu comprehendere, ac ſenſibus aſſequi nullatenus licet, ex eo tamen ſequi uidetur, quoniam ſingula ouula cicatricibus ſuis donari, per experimenta, in ouis gallinarum inſtituta, conſtat, quae propterea nuda tantum euolutione & extenſione opus habent. Quamobrem nulla uidetur adeſſe neceſſitas, ut animae rationali corporis fabricationem adſcribamus, eamque architecti munere in exſtruendo corpore fungi, exiſtimemus, quia, ipſam rerum, in eodem actarum, parum conſciam eſſe, experientia docet. Multo minus *Loewenhookii* ſententia, de generatione animalium ex animalculis uiuis, ſemini uirili innatantibus, talis eſt, quae nobis probari poteſt, quoniam hoc pacto ex multis millibus animal-

culorum uiuorum, cum Semine una uice emisſorum, unicum tantum, aut certe pauciora, cohaerent, & foetum humanum conſtituunt. Quid autem de reliquis fiat, non patet; quae tamen, quoniam uita iam tum gaudent, animam humanam certe, ante conceptionem, posſidere deberent. Ita uero embryo a patre unice dependeret, cui mater nil, praeter nidum ac nutrimentum praeberet: id quod ſane difficultates inſuperabiles creat.

THES. II.

Poſthabitis itaque ſententiis iſtis, parum probabilibus, ad eorum potius caſtra tranſimus, qui conceptionis rationem in eo collocant, quando in coniunctione maris cum foemina, pars ſeminis ſpirituoſa, ouulum ingreſſa, in ſtaminibus, in hoc praeexiſtentibus, ac ſigillatim in puncto, uti in ouis incubatis uocatur, ſaliente, ſeu rudimento cordis, motum uitalem expanſiuum excitat: quo ipſo in homine anima, modo incomprehenſibili, producitur, ac generatur. Haec quippe ſententia, de ſtaminum corporis in ouulo praeexiſtentia, neque ſacris literis fidem derogat, neque potentiam diuinam infringit, potius eandem clariſſime, non ſi-

ne

ne ſingulari ſummae admirationis incitamento, declarat: uti pluribus hoc demonſtratum a *B. Brendelio, diſſertat. de embryone, in ouulo ante conceptionem praeexiſtente.* Quando itaque ſemen maſculinum, apta utriusque ſexus organorum genitalium combinatione, in aruum muliebre iniicitur, aura eius ſubtilior per tubam Fallopianam, eo tempore ouario, mediantibus fimbriis expanſis, applicatam, intra ouulum, ibidem latens, penetrat, atque illud foecundat. Non quidem ignoramus, Medicorum celebrium quamplures, conceptionem in ouario, ouulique foecundati per anguſtum tubae canalem deſcenſum, difficilem iudicantes, in ea haerere ſententia, oua ante conceptionem ad uterum deſcendere, ibique demum a ſemine maſculino foecundari. Alii e contrario nouum aliquod ouarium, in orificio uteri interno, ſtabilire uoluerunt, expeditiorem ita uiam cenſentes, qua ſemen proliferum facilius in ouula, ibidem collocata, penetrare poſſit, quam ſi per tubam, cum ouario non cohaerentem, ſed libere in abdomine fluctuantem, ad ouaria hactenus nota tranſire opus habeat. Vtrisque autem contradicunt foetuum, in tuba repertorum, exempla non tantum, ſed etiam Celeberrimi Ruyſchii

obſeruationes curioſiſſimae, qui non ſolum ſemen in tubis Fallopianis foeminarum, a paucis diebus grauidarum, ſed etiam ouula foecundata, turgida in ouariis earum aliquoties reperit. *uid. Theſ. Anat. VI. Tab. IV. fig.* 1. *& Aduerſar. Anat. Dec. I. Tab. I. fig.* 2. *& Tab. II. fig.* 3. quo loco etiam ad Epiſtolam Clarisſimi Etmulleri, de ouario nouo reſpondet, pluribusque ſolidisſimis argumentis illud deſtruit.

THES. III.

Ouulum foecundatum, oborta intrinſecus turgeſcentia, & motu expanſiuo in ſtaminibus, ac concitato propterea largiori affluxu ſuccorum, ſucceſſiue e clauſtris, quibus firmiter antea cohaerebat, prorumpit, ac, rupta exteriori ouarii membrana, uel dilatatis potius foraminulis, aut oſculis, in hac, poſt foecundationem, a *Verheyen* in brutis obſeruatis, *Anat. Tr. II. c.* 24. ad extra tendit, atque a tubae parte ampliori exceptum, uerſus uterum deſcendit. Quamprimum ad uterum acceſſit ouulum, breui poſt, explicatis magis in exteriori eius tunica fibris, iisque intra ſubſtantiam uteri inſinuatis, cum hoc tandem cohaeret. Aſſeruamus nos, inter rariora, ouulum humanum, nucis auellanae

lanae magnitudine, in cuius cauitate foetus, muſcam referens, a funiculo umbilicali pendet. Huius facies externa, ex parte fibroſa, penicilli inſtar, apparet, reliqua ſuperficies leuis atque compacta, qualia ouula nondum aperta, exhibet laudatus *Ruyſchius, l. c. Tab. I. fig.* 2. 3. Locus iſte piloſus atque fibroſus haud dubie eſt, ubi ouum cum utero connectitur, atque in quo placenta tandem generatur. Quoniam uero harum fibrarum, & totius oui expanſio, a ſuccorum ipſius foetus motione, ac circulatione pendet, hinc manifeſtum eſt, per easdem fibras, cum uaſis uterinis connexas, nutrimentum a matre ad foetum deriuari. Per hanc itaque uiam embryo tenerrimus, intercedente funiculo umbilicali, ſuccum nutritium omnem primis menſibus haurit, donec tandem, eodem magis perfecto, idem quoque liquorem amnii circumfuſum, mediante ore, capere ac deglutire poſſit: quorum ſuccorum beneficio, foetus ad plenariam ſui perfectionem, & magnitudinem perducitur.

THES. IV.

Circumdatur foetus membrana duplici, quarum externa chorion, in qua uaſa ſangui-

fera copiosissima, ex umbilico protensa, & placentam uidere licet; interior uero amnion, quod succum alimentitium, & foetum ipsum continet, appellatur. His accedit tertia, a figura, quam in brutis habet, farciminalis, seu allantois uocata, quae succum excrementitium urinalem, in uesica embryonis collectum, ac per urachum, in umbilico transeuntem, transmissum, recipere debet. Quemadmodum uero origo liquoris amnii admodum obscura est, ita, ut auctores nondum inter se consentiant, utrum eundem ex uasis umbilicalibus, uel ex umbilico ipso, uel ex placenta, uel ex mammis foetus deriuare uelint: ita non minor inter eosdem occurrit dissensus, circa tertiam membranam, allantoidem dictam. Haec quidem membrana, in brutis grauidis dissectis, lotio plena manifeste apparet; eam tamen in humanis corporibus, ob excrementorum defectum, raro inuenire licet. Ea de causa, multi ex recentioribus ipsius in homine existentiam plane negant, eiusque nullam esse necessitatem contendunt, inprimis, quoniam Anatomici exercitatissimi, urachum in foetu plerumque clausum esse, obseruarunt. Alii e contrario necessitatem huius membranae, in homine non tan-

tantum propugnant, ſed etiam, eandem aliquoties ſe reperiſſe, perhibent, eamque inter amnion & chorion collocant, ita, ut illa aeque, ac haec, totum foetum inuoluat, quos inter inprimis *Needham*, *le Graaf*, *atque Bidloo* eminent. Totam uero controuerſiam, uti nobis quidem uidetur, terminare poterit obſeruatio elegans *D. Hale*, *in Tranſact. Anglic. n.* 271. *p.* 833. *Ann.* 1698. conſignata, qui allantoidem in duplici ſubiecto non modo obſeruauit, ſed etiam flatu diſtentam conſeruauit. Ea tamen foetum nullatenus, ſicut nec in brutis, ambit, ſed amnio accumbit, & cum hoc commune aliquod latus conſtituit: uti ex icone, *loc. cit.* addita, omnium optime perſpici poteſt. Vrachi uero perforationem, praeter aliorum obſeruationes, confirmat illa, quam yongius quondam in puero ſex annorum uidit, qui omnem fere urinam, a primo ortu, per umbilicum reddidit: quod ipſum pariter conſignatum uidere eſt in *Tranſact. n.* 323. *p.* 423. Quale etiam exemplum ex Hiſtoria Regiae Scientiarum Academiae, a Domino Littre, in uiro XXX. annorum obſeruatum, recenſet Clariſſimus *Verdries, in Ephem. Germ. Cent. VI. obſ. XIV.* ubi pariter experimentum curioſum Celeberrimi *Ridley*, ad detegen-

tegendam urachi cauitatem, inſtitutum, ad imitandum proponit.

THES. V.

Ita ergo foetus, membranis ſuis inuolutus, ac in ſucco amnii innatans, in domicilio ſuo tamdiu retinetur, donec idem auctus ac perfectus, partus tempore appropinquante, non tam, ob ſpatii anguſtiam, aut nutrimenti defectum, quam ob turgeſcentiam ſuccorum propriorum fortiorem, ac aeris liberioris appetitum, exitum parat. Idem quippe, anxietate praecordiorum coactus, uariis motionibus atque iectigationibus circumactus, tandem uerſus orificium uteri internum inclinat, illudque capite premendo, ac pedibus uerſus uteri fundum calcitrando, hunc ad ſui expulſionem concitat. Hoc tamen non, niſi termino partus conſtituto, in hominibus aeque, ac brutis, certo, per naturam fieri ſolet, expletis nimirum nouem in utero menſibus. Quamuis enim quidam, partus terminum in hominibus incertum eſſe, exiſtiment, partumque perfectum non ſolum citius, menſibus nimirum ſexto, ſeptimo, atque octauo, ſed etiam tardius, decimo, undecimo, atque duodecimo fieri poſſe, ſibi perſuadeant; eundem

dem tamen certiſſimum, ac per naturam immutabilem eſſe, rationes grauiſſimae quamplures euincunt. Apparet ſane pariendi tempus quandoque uagum, atque fallax, cum foeminae ipſae, ob conceptionis principium ignoratum, non raro fallantur; probe tamen inſtructae, & quae ſe norunt, non diem, ſed horam, & uel momentum inſtantis partus ſibi praedicere posſunt: uti auctor nobis eſt *Schellhammerus, Analect, Anatom. Phyſiolog. Exerc. XII. ſect. III. theſ.* 17. Idem hoc loco illuſtre huius rei exemplum adducit, Sereniſſimae Ducis Ienenſis Bernhardi uxoris, Regia ſtirpe, e domo Tremullia, ortae, quae partus inſtantis momentum exacte praedixit, nec unquam in calculo errauit.

THES. VI.

Quemadmodum uero, ante finem noni menſis, nullus partus naturalis, ac ex omni parte perfectus editur: ita nec foetus, per naturam diutius, poſt illud tempus, in utero materno remanere poteſt. Aliter tamen ſe res habet, ubi foetus, ab exitu totaliter, ob uarias cauſas, interclusus ac impeditus, in utero emoritur, atque, niſi remoueri queat, putredine conſumptus, matrem ipſam iugulat. Dantur

tamen caſus rariſſimi, quibus embryones, in utero retenti & mortui, ac poſtmodum indurati, per plures annos incorrupti, conſeruati fuerunt. Inter ea exempla, ſingulare, ac plane inauditum eſt illud recentiſſimum, in pago Sueuico, prope Gemundam, Leinzell appellato, contingens, ubi ex foemina, XCIV. annorum foetus talis oſſificatus, aut potius exſiccatus, ſecundinis ſuis, globum oſſeum referentibus, adhuc incluſus, poſt mortem exſectus eſt, qui per XLVI. annos in utero materno haeſit, uti hoc, deſcriptum & delineatum, uidere licet *in diſſert. de foetu XLVI. annorum, Tubingae, ſub Praeſidio Clariſſimi Camerarii habita.* Singularisſimum & notatu digniſſimum penitus in hoc caſu eſt, omnemque fere fidem ſuperat, quod foemina, foetu iſto extincto, ac, praeſentibus licet omnibus partus indiciis, in utero, aut in tuba, uti uidetur, permanente, ab illo tempore tamen, adhuc bis foetus uiuos, & adhuc uiuentes, ediderit. Inde etiam factum eſt, ut miſera illa, quando conſtanter affirmauit, ſe foetum illum adhuc utero gerere, fidem haud inuenerit, potius ludibrio ab ipſis Medicis habita ſit, usque dum, poſt tantum temporis interuallum, exitus ueritatem rei comprobaret.

THES.

THES. VII.

Foetum autem mortuum, licet non ossificatum, ad aliquod tempus, sine corruptione, in utero contineri posse, alio quodam exemplo, ex familia brutorum desumpto, comprobandi, nobis in praesenti se offert occasio. Dum enim haec scribimus, offertur nobis a lanione huius ciuitatis uterus ouilis, foetu repletus, ex oue, ab anno tumore insigni lateris sinistri affecta, exsectus, quae pro grauida quidem habita, partum tamen nec anno superiori, nec praesenti edidit. Re ista singulari permotus lanio, ouem per annum nutriens, sine spe sobolis ab ea acquirendae, tandem consilium cepit ouem mactandi, uterumque resectum nobis obtulit. Erat autem hic arctissime circa foetum contractus: quo, cum membranis, hunc inuoluentibus, aperto, aliquot unciae liquoris aeruginosi, coloris crocei, omni tamen foetore destituti, effluebant. Tunc autem in conspectum prodibat foetus, omni ex parte perfectus & maturus, sed mortuus, & obtorto capite iacens. Inciso embryonis corpore, interiora eius nitida atque incorrupta, carni recenter mactatae similia, sine ullo odore foetido ac putredine, inuenimus; omnia tamen uiscera inter-

na flaccida, exſucca, & exſanguia deprehendimus. Canalis alimentorum contractus, ac ab excrementis, ibi contentis, flaueſcente & nigricante colore tinctus, ſine ulla tamen corruptione, ita, ut inflationes ac iniectiones uiolentas, mediante ſiphone, ad inteſtina, in totum fere conglutinata, expandenda, factas, ſine ruptura ſuſtineret. Ex corde ac canalibus maioribus ſectis, nil, praeter pauxillum liquoris, loturae carnis ſimilis, effluebat, in toto uero corpore ne guttula quidem ſanguinis, aut purulentae materiae apparebat. Foetus hic perfectus ac maturus, & quoad internas & externas partes ſanus, ac optime conſtitutus, quamobrem in lucem non fuerit editus, nullam aliam reperire potuimus cauſam, praeterquam, quod ille ſiniſtra coxendice connatus, ac conglutinatus cute lanata cum ſecundinis, ac utero ipſo, ad palmae latitudinem tam firmiter cohaereat, ut, ſine membranarum ac uteri dilaceratione, ſeparari nequeat: uti id ipſum in foetu, a nobis conſeruato, unicuique monſtrare integrum eſt. Interim tamen embryo iſte, ſi non ab anno praeterito, quod certo affirmare non poſſumus, a quatuor tamen minimum menſibus, poſt mortem ſine corruptione, in utero materno inte-

ger conſeruatus eſt, nullumque eſt dubium, quin idem, diuturnitate temporis magis exſiccatus & induratus, adhuc diutius ibidem contineri potuiſſet.

THES. VIII.

Perpenſis itaque ingrauidationis conditionibus, nunc, ut propius ad impraegnationem ſpuriam explicandam accedamus, ueniendum nobis eſt ad ſigna ingrauidationis uerae. Quamprimum mulier in utero concepit, eadem, ob influxum ſuccorum, uerſus uterum largius concitatum, ac circuitum propterea ſanguinis uitalem uehementer alteratum, genusque neruoſum inprimis grauiter affectum, uarias, easque inſignes in corpore communiter experitur mutationes. Ita enim de eo *Hippocrates, de Principiis: Mulier, cum in uentre concepit, ſtatim horret, & calor, & dentium ſtridor conſequitur, & conuulſio occupat tum articulos, tum totum corpus, & uterum ſegnities, ac torpor.* At longe plura impraegnationis indicia paulo poſt ſequi ſolent, quorum tantus eſt numerus, ut uix omnia recenſeri queant, quae in mulierculis obſeruantur, collegit tamen ea *Pechlinus; in Obſeruat. Phyſ. Med. L. I. obſ.* 45. *Sunt*, inquit, *alacres, & ue-*

uegetae, quae, ſimul ac contagio ſeminali ſunt infectae, uelut ad nocentis aurae halitum, aliam induunt naturam, corporisque & animi dotes lente amittunt. Statim enim uultum ſolitus deſtituit rubor, oculorum orbitae excauantur, & liueſcunt, caputque & lumbi doloribus, artus omnes laſſitudine perfunduntur, appetitus non tantum nullus, ſed & degener, & ad inepta praepoſtera perſuaſione productus, conſuetorum alimentorum etiam memoria grauis, aſpectus ſaepe intolerabilis, uſus diris ſymptomatibus, inde & uomitu uindicatus; inſuetorum contra incredibilis appetentia, & ſi, cum petuntur, deficiunt, major, quam a praeſentibus noxa; coctio uentriculi, aluus & pleraeque inde functiones deprauatae. Et haec quidem non omnibus, nec ſimul & ſemel; ſed aliis initio, aliis toto tempore, aliis proxime ante partum eueniunt. Haec tamen indicia grauiditatis, quamuis in quamplurimis obſeruentur; ea tamen, uti ipſi auctores fatentur, ac quotidiana experientia docet, nullatenus uniuerſalia ac perpetua, ſed ad accidentalia potius ſunt referenda. Non raro enim euenire ſolet, imo utplurimum fit, ut uirgines morboſae & palleſcentes, poſt conceptionem, uiuidiores, uegetiores, meliusque ualentes euadant. Multo minus ex his, cum

Schel-

Schelhammero loc. cit. §. 27. 28. concludere licet, conceptionem peragi, mediante circulo ſanguinis, cuius beneficio aura ſeminalis a uenis ex utero ad ſanguinem, & per hanc ad ouarium penetret, quia hae mutationes, uti ipſe iudicat, niſi ſanguine infecto, fieri nequeant. Quemadmodum enim nos nullum uidemus impedimentum, quare ſemen ſpirituoſum non per eandem uiam, per quam ouulum foecundatum ad uterum regreditur, accedere queat: ita alterationes iſtae, per uteri, propter uaſa ſanguifera & neruoſa copioſisſima, cum toto corpore conſenſum, explicari poſſunt.

THES. IX.

Alia tamen, eaque magis eſſentialia, & quae per naturam grauiditatem neceſſario ſequuntur, indicia temporis ſucceſſu in foeminis obſeruari ſolent. Ceſſat nimirum regulariter, ſtatim poſt conceptionem, fluxus ſanguinis menſtruus, percipitur a grauidis tenſio abdominis, qua primum inſenſibiliter, poſt medium uero geſtationis tempus manifeſto abdomen intumeſcit, ac magis eleuatur. Eo ipſo quoque in mammis, praecipue in papillis, pruritus atque punctorii dolores percipiuntur, ac lac

quo-

quoque pededentim in iisdem colligitur, foetusque ipſe, tandem adultior factus, motibus fortioribus ſui praeſentiam notam reddit. Haec quidem ita ſunt comparata, ut, ubi coniunctim ac perfecte adſunt, grauiditatem prae aliis indicare ſoleant; nihilo tamen ſecius iſta quoque ſigna, ſi ſeparatim conſiderentur, aut imperfectiora ſint, foeminis ipſis, multoque magis aliis imponere poſſunt. Quem enim latet, ex quot cauſis purgatio menſtrua, etiam ſine impraegnatione, turbari, aut plane cohiberi poſſit, cum e contrario grauidae interdum, quamuis rarius, ad dimidium geſtationis tempus, imo ad partum usque eandem experiantur. Ex ſuppreſſione uero menſium, uiſcerum obſtructionibus, atque tumoribus aliis, oritur ſubinde intumeſcentia abdominis, non tantum flatulenta ac mutabilis, ſed etiam durior & continua, qua deceptae mulierculae, grauidae ſibi uidentur. Accedunt ſaepiſſime motus flatulenti, atque ſpaſmodici, motibus foetus quodammodo analogi, qui, niſi accurate iudicentur, ac a ueris embryonis motibus diſtinguantur, tanto magis foeminis imponere ſolent. Lac quoque, uel liquor huic ſimilis, in mammis cachecticarum, & menſium obſtructione laborantium, ſaepiſſime reperitur.

Imo

Imo, quod omnium maximum eſt, ſigna iſta non ſeparatim, ſed coniunctim quoque occurrunt, adeoque facilius fallunt, niſi, iisdem exquiſite examinatis, ac cum aliis circumſtantiis concurrentibus collatis, aut ipſo tandem exitu contrarium docente, fallacia detegatur. Lepidus admodum caſus a *D. Hoyero, in Ephem. Germ. Cent. VI. obſ. LXXIV.* narratur de Muliere LXXIII. annorum in duobus matrimoniis foecunda, in tertio uero per XVIII. annos ſterili. Haec de nouo menſes cum titillatione prorumpere ſentiens, ac uiro cohabitans, non tantum abdominis tumorem, ſed etiam mammas turgidas, lac fundentes, monſtrauit. Tempore uero partus conſueto accedente, molam loco foetus edidit.

THES. X.

Varia quidem ſunt uitia, in corpore latentia, quae grauiditatis ſpeciem quandam prae ſe ferunt; ea tamen, ſi intentis oculis accurate conſiderentur, ac cum aegrarum diſpoſitione, aliisque in corpore obſeruatis conditionibus, conferantur, a prudentioribus omnino diiudicari poſſunt. Hydrops quidem abdominis atque tympanites, quamuis ſaepisſime ingrauida-

tionis ſuſpicionem efficiunt, pluribus ſpecialibus accidentibus ab hac diſtinguuntur. Quemadmodum enim inflatio abdominis in tympanitide non continua eſt, ſed uarias uiciſſitudines habet: ita ipſa aqua, in hydrope abdomen inundans, fluctuatione ſua, pro uaria corporis inclinatione, ſe ſatis ſuperque prodit, niſi aqua iſta in uiſceribus, aut ueſiculis includatur, qui hydrops ſaccatus Medicis audit. Attendendum tamen & hic, hydropem atque tympanitidem cum uera impraegnatione interdum coniungi, adeoque huius ſigna obſcuriora, & cognitu admodum difficilia efficere, ut uere grauidae tales non aeſtimentur. Singulare huius rei exemplum in *Ephemer. German, Dec. II. A. VIII. obſ.* 165. recenſet D. Albrechti foeminae hydropicae XLV. annorum, quae hydropis cauſa, incaſſum uſurpatis fortiſſimis hydragogis, filium tandem enixa eſt. Imo *Platerus L. III. obſ.* 620. mentionem facit foeminae, quae quoties uterum ferebat, toties quoque aſcite laborauit. Cautos igitur & circumſpectos hoc ipſum reddere debet Medicos, ne perſonis imprimis ſuſpectis, apparentibus licet ſignis quibusdam cachexiae, fortiora ſtatim emmenagoga, ac foetum expellentia exhibeant medicamen-

menta. Neque tamen ex ſola abdominis intumeſcentia, uti a uulgo fieri ſolet, impraegnatio iudicanda, ne innocentibus iniuria fiat: qualia exempla toto die occurrunt. Ita *Sennertus Pr. l.* 3. *Part. VI. ſect.* 2. *c.* 3. ex Iohanne Henzio refert de ancilla, eam ex diaetae erroribus, in menſium primum ſuppreſſionem, ac in uentris tumorem incidiſſe, &, quoniam ea de cauſa ipſa male audiret, ſectionem corporis poſt mortem, pro innocentiae teſtimonio petiiſſe. Fato inſecuto, ac corpore aperto, tumor utriusque ouarii, capitis recens nati infantis magnitudine, liuidus atque fungoſus, plurimisque ueſiculis aquoſis, in ulcera degenerantibus, repletus, inuentus fuit.

THES. XI.

Prae aliis, tumores & concreta uaria, in, aut circa uterum haerentia, grauiditatem mentiuntur, ita, ut uix, ac ne uix quidem, a uera diſcerni queant. Eo pertinet molarum generatio, quae, quoniam in ipſo utero haerent, eodem modo, ac foetus creſcunt, ipſumque uterum, cum quo cohaerent, ac ex quo nutrimentum capiunt, aequaliter afficiunt, omnia fere grauiditatis uerae ſigna praebent. Notae

ſufficienter ſunt fabulae, quae a uulgo de molis circumferuntur, easdem eſſe animalia monſtroſa, ac uiua, ex imaginationis errore, aut congreſſu illicito, in corpore formata: quae omnia hic recenſere, operaę pretium non eſſe, exiſtimamus. Vnicum tamen praetermittere hic non poſſumus, quod nobis contigit haud ita pridem, ubi uir quidam offerebat nobis molam, ab uxore ſua abortiente in lucem emiſſam, oblongam, anterius craſſiorem, & inciſura, inſtar oris, notatam, poſterius uero in acumen abeuntem, quae piſcis figuram quodammodo monſtrabat. Hanc, uir iſte, non tantum uixiſſe, quia, aquae iniecta, fluctuauerat, ſed etiam ab obſtetrice, mediante ſabula ſutoria (erat enim uir iſte ſutor) occidendi animo perforatam, ſonum, uel clamorem edidiſſe, affirmabat; quam tamen nil aliud eſſe, quam maſſam carnoſam informem, cognouimus, Commouit haec uulgi perſuaſio laudatiſſimum *Ruyſchium*, ut, conuocatis aliquando omnibus, quot quot Amſtelodami fuerunt, obſtetricibus, quarum numerus haud fuit exiguus, easdem examinaret, & percontaretur, quid circa molas obſeruaſſent. Nulla tamen ex illis quicquam aliud de his reuelare potuit, quam, quod corpora carnoſa & dura ſaepius

depre-

deprehenderint, nunquam uero talia uiuentia ab ipsis reperta fuisse: ut idem narrat *in Obseru. Anat. Chirurg. LVIII.*

THES. XII.

Molarum ipsarum origo, atque generatio, admodum suspensos reddidit Medicos, quid de ea sentiendum sit. Communiter quidem tales, ex relicta in utero, ac huic cohaerente particula placentae, ortum trahunt, quando haec, cum uasis uterinis adhuc coniuncta, nutrimentum capit, ac in tantam molem, foeminis molestam, augetur: unde nomen accepisse, patet. At enim uero huiuscemodi molae, non tantum a foeminis maritatis, aliquo iam partu antegresso, sed etiam, antequam pepererunt, excluduntur: ubi sane iniuria foret, omnes accusare, easdem, ante matrimonium contractum, iam partum, aut abortum passas esse. Huic tamen dubio optime occurrere possumus, si concreta ista, ex utero exclusa, cum saepius celebrato *Ruyschio* distinguamus. Hic enim, *in obseruat. Chirurg. obs. XXVIII. & XXIX.* docet, probe discernendas esse molas ueras, ex particula placentae foetus maturi, in lucem emissi, abrupta, & in utero retenta, a pseudomolis, a placentula

integra foetus duorum, trium, quatuorue mensium, in matre extincti, uel abortu expulsi, quae compressione uteri induratae, rotundam, aut oblongam, interdum quoque animalium figuram exhibent. His aliud adhuc pseudomolarum genus *Idem* addit, massam nimirum cruoris, aut sanguinis coagulati, & uteri compressione indurati, quae pariter molae speciem prae se ferre solet. In harum ab illis dignotione respiciendum esse, docet, ad duo illa momenta, an funiculi abrupti uestigium adsit, & an uasis sanguiferis gaudeant, sine quibus non possint uocari placentulae retentae. Pariter etiam alia concreta, extra uterum reperiunda, cum molis nullatenus confundenda sunt: id, quod Marquardus fecit, qui duas molas extra matricem, unam huic fortissime adhaerentem, alteram in latere sinistro, circa uasa seminaria, in quantitate capitis, in muliere Viennensi repertas, refert, *Pract. Theoret. & Emphyric. cap. 5. de Mola*, quarum originem quoque idem inde deducit, quod foemina illa uenerea, uiro seni impotenti nupta, caste & honeste uixerit.

THES.

THES. XIII.

Praeter molas, in utero generatas, ingrauidationem quoque mentiuntur alia concreta praeternaturalia, in matrice ipſa, aut extra eandem reperiunda. Sic grauiditatem ſpuriam, ex utero ulceroſo, carnem ſpongioſam & putridam continentem, habet *Hildanus, Cent. II. Obſ.* 55. ex maſſa pultiformi, in utero contenta, *Arculanus Comment. ad Cap. de Mola Lib. IX. Almanſor.* ex calculis, in utero contentis, in Comitiſſa a Gleichen, *Moeb. Fundam. Med. Phyſiolog. cap.* 20. ex ueſicae abſceſſu, *Helwigius, Obſ.* 124. ex ouario dextro, ad magnitudinem oui gallinacei aucto, *Marchettis, Anat. cap.* 7. Quae exempla, cum pluribus aliis, aliorum auctorum obſeruationibus, uidere licet apud *Bonett. Anat. Pract. L. III. Sect.* 37. *Obſ.* 1. Quo propius igitur tumores, uel alia concreta praeternaturalia, uteri regioni adiacent, aut in ipſa matrice conduntur, tanto magis grauiditatis ſpeciem prae ſe ferunt, niſi per alia ſigna ab hac diſcerni queant. Circumſpectione igitur, hac in re iudicanda, maxima eſt opus, ut omnes circumſtantiae rite perpendantur, utrum nimirum tumor abdominis, ſimili, ac tempore impraegnationis, modo, primum lente, ſed ſucceſſiue ſenſibilius

incre-

incrementum capiat, an uero idem ſubito creſcat, uel tandem nimis augeatur, uel potius in eodem ſtatu ſubſiſtat, aut alia cachexiae, uel alius ſtatus praeternaturalis ſigna concurrant? Quoniam tamen haec non exacte a mulierculis obſeruantur, ſe ipſas, aliosque non raro fallunt. *Crucius, de Quaeſitis, Cent. I. p.* 21. refert, Imperatricem Auguſtam omnia ſigna uerae geſtationis, tribus fere annis ante obitum, habuiſſe, ut omnes doctiſſimos Medicos & expertiſſimas mulieres deceperit, usque ad nonum menſem. In huius defunctae corpore aperto, praeter uiſcerum plerorumque uitia, abdomen humore ichoroſo, flauo plenum, uterus magnus, plenus humore albo craſſisſimo, ac, circa eius latera, & corpus, quinque tumores ſat magni, eius ſubſtantiae adhaerentes, inuenti fuerunt.

THES. XIV.

Ad hunc ergo grauiditatis falſae ordinem pertinet quoque noſter caſus, in praeſenti expoſitus, qui quidem primo tempore a uera uix dignoſci potuit. Foemina enim conſiſtentis aetatis, haud ita pridem gemellis procreatis, omnia fere ingrauidationis ſigna percipere, ſibi perſuaſerat. Fluxus nimirum menſtruus ad hoc

usque

usque tempus durans, cessauit, hypogastrium a tumore illo ouarii successiue intumuit, lacti analogus liquor in mammis apparuit. Accedentibus praeterea motibus in abdomine, flatulentis quidem ac spasmodicis, non tamen, nisi accurata obseruatione, a ueris foetus motionibus diiudicandis, rationes sufficientes habere, sibi uisa est, quamobrem, se grauidam esse, crediderat. Tempore uero partus praeterlabente, ac abdomine in nimiam molem crescente, spes quidem ista euanuit, inhaesit nihilosecius animo opinio, foetum in utero extinctum, adhuc in corpore latere; quod tamen sectio, post obitum instituta, refutauit.

THES. XV.

Ex hactenus itaque allatis exemplis, & ex praesenti quoque nostro casu, satis constare, iudicamus, signa inpraegnationis adeo certa, infallibilia, ac uniuersalia non dari, quae omnibus foeminis competant, nec unquam deficiant, quoniam optima, ac per naturam in plerisque grauiditatem indicantia, interdum deficere & fallere uidimus. Occurrunt tamen exempla rariora foeminarum, quae, conceptione facta, indicia singularia, ac ipsis propria, eaque insueta penitus, ac extraordinaria,

imo paradoxa experiuntur, e quibus, ſe grauidas eſſe, certo cognoſcunt. Notatu digniſſimum eſt, quod *D. Hoyer in Ephem. German. Cent. VI. obſ. LXXV.* de matrona generoſa retulit, eam uirginitatis annis fluxum menſium regularem expertam eſſe, poſt matrimonium uero contractum, extra impraegnationis ſtatum, nil quicquam huius percepiſſe. In hac, aliquoties grauida facta, tanquam certiſſimum impraegnationis inchoatae ſignum, menſes apparuerunt, ac per totum geſtationis tempus, usque ad partum, debitis interuallis ſe monſtrarunt, ſed, partu edito, ac lactatione peracta, ſine ullo ſanitatis diſpendio, iterum ceſſarunt. Non minus curioſum eſt, quod ab *Ettmullero, loc. cit. Cent. I. obſ. XLV.* de foemina perhibetur, quae, quotiescunque concepit, & antequam alia ſigna ingrauidationis ſentiret, ſanguinem ex bregmate ſiniſtro extillare, percepit. Plura quoque talia, in ſcholio addito, enumerantur exempla, ex Panarolo, Fernelio, aliisque, ubi epilepſia, uena, in femoris interno latere, prope genu apparens, cephalalgia, & id generis ſingularia ſymptomata, impraegnationem factam eſſe, certo annunciarunt. Prae aliis autem memorabilis eſt caſus, qui in *Dec. I. A. II. obſ.*

CCXV.

CCXV. *a Reiſelio* relatus habetur, quo maritus, pro uxore grauida, uomitu ac pica laborans, ſiſtitur, cuius quoque filius poſtea, contracto matrimonio, eadem ſymptomata paſſus eſt. Aequum omnino, noſtra ſententia, fuiſſet, ut uiri iſti, more in Guayana, Americae regione, recepto, partu ab uxoribus edito, lectum occupaſſent, ac, puerperio cubantes, ſeruitia ab uxoribus, in grati animi teſſeram ipſis praeſtanda, expectaſſent.

THES. XVI.

Sed progrediendum nobis nunc eſt, ad ſpecialem caſus noſtri conſiderationem, in quo ante omnia nobis ob oculos ponitur, tumor iſte ouarii inſignis, ingrauidationis huius ſpuriae, & aſcitis ſubſecuti unica cauſa. Conſtabat idem ex folliculis membranoſis, inter ſe cohaerentibus, ac externa ouarii tunica ualidiſſima comprehenſis, muco lento atque uiſcido turgidis, admiſta quoque hinc inde materia purulenta. Capſulae ipſae, cum externa tunica, craſſiſſimae, ac uaſorum ſanguiferorum quoque perreptantium, canales inſigniter diſtenti erant, ita, ut quidam eorum ad calami ſcriptorii capacitatem accederent. Fuerunt omnino folliculi iſti nihil aliud, quam hydatides, a ſero ui-

ſcido atque mucoſo, extremitates uaſorum ſucceſſiue diſtendente, ortae, quarum numero & magnitudine creſcente, ouarium totum tandem in hydatides degenerauit. Tales, ouulis ueris interiectae, ſaepiſſime in ouariis mulierum reperiuntur, &, cenſente laudato *Brendelio, diſp. de Hydrope ouariorum; Theſ. IV.* neque ouulis priores, neque aequales exiſtunt, ſed in illis demum, quae aliquoties pepererunt, & uarias iniurias in partibus genitalibus perpeſſae ſunt; Iſtae enim frequentius in foeminis, quae partum ediderunt, rarius, uel nunquam in uirginibus ſanis reperiuntur: uti uidere eſt *in Ephem. Germ. Dec. II. A.* 5. *obſ.* 207. *&* *A.* 6. *obſ.* 164. Propterea tamen, ob hydatides ſaepe in ouario occurrentes, illud ueſiculare aut glanduloſum dici non poteſt, quoniam, docente Clariſſimo *Heiſtero, Compend. Anatom. Adenolog.* §. 367. ueſiculare & glanduloſum diſtingui debent, ueſiculae autem aliae per naturam in ouario, praeter ouula, non occurrunt, nec glandulae in ſtatu naturali in eodem demonſtrari poſſunt. Euicit quoque *Ruyſchius, Theſ. Anat. VI. Explic. Tab. V. fig.* 3. 4. 5. 6. uaſorum ſanguiferorum extremitates hydatidum naturam uariis locis induere: idque exemplis placentae uterinae, in hy-

hydatides mutatae, confirmauit, quam tamen pariter, ac alia corporis noſtri uiſcera, nil glanduloſi continere, exquiſitiſſima ſua arte praeparandi, clarum reddidit.

THES. XVII.

Quod ſi nunc de cauſa ſolliciti ſimus, tam copioſi hydatidum prouentus, atque expanſionis ouarii inſignis, eam certe nullam aliam, quam humorum, in ſuo circulo impeditorum, ſtagnationem, atque in nodoſis, extremitatum uaſorum anfractibus, collectionem fuiſſe, patet. Hanc ſi non unice produxit, occaſionem certe eidem dedit, binorum ouorum foecundatio, ac, ab horum ſeparatione, grauior ouarii laeſio, in procreatione gemellorum antecedente, facta. Ex antea dictis enim conſtat, hydatides frequentius in foeminarum, aliquot iam partus expertarum, quam in uirginum ouariis ab Auctoribus obſeruatas eſſe: quod docet, ouarium a conceptione, atque ouulorum foecundatorum eruptione, non parum affici. Confirmat hoc uberius tumor inſignis, ab ouuli ſeparatione in ouario relictus, tantae magnitudinis, ut dimidium interdum totius ouarii conficiat, qui rubedine primum perfuſus, ac quaſi inflammatus, ſucceſſu uero temporis ſugillatus, atque liuidus appa-

 ret.

ret. Corpus hoc luteum, &, uti uocatur, glandulosum, ex cuius sinu prodiit ouulum, saepe diutius post conceptionem remanet, ita, ut non raro post partum, adhuc turgidum inuentum fuerit: quemadmodum in foemina, Torgae, ob infanticidium commissum, aquis suffocata, obseruatum, legi potest, in *Physiol. Experim. Sect. VI. Cap. XI. Thes.* 4. Quae forte causa est, quare in non grauidis quoque, a *Malpighio* illud repertum sit, unde enata est suspicio, idem ante conceptionem iu ouario existere, quod tamen antecedenti potius conceptioni, & partui adscribendum erit. Euincit tumor iste rubens, liuidusque, tamdiu permanens, ouulum foecundatum non, nisi ui, atque conatu, & turgescentia intrinseca, excitato humorum affluxu uberrimo, fractis repagulis, prorumpere, atque sic intumescentiae huic occasionem dare. Tanto maiorem laesionem in ouario fieri, a duplici ouulo, una uice erumpente, credendum est, quia eo ipso turgescentia fortior, largior humorum affluxus, & grauior fibrarum irritatio necessario concitatur. Id quoque probat obseruatio *Swammerdammii* qui, referente *Brendelio, loc cit.* in ouario sinistro foeminae, sex mensibus grauidae, &, editis abortu duobus gemellis, extinctae, uidit

in-

inflammationem, & insignem cicatricem, qua incisa corpus flauum & fibrosum, gemina fouea, e qua oua gemella prodierunt, insculptum apparuit. Quamobrem non sine ratione iudicamus, gemellorum procreationem antecedentem, in nostra tumori ouarii ansam dedisse.

THES. XVIII.

Cognita igitur atque perspecta causa, tumoris huius in ouario, praecipua, facile est, iudicare de hydrope ascite, tandem accedente. Aucto quippe isto tumore, & cauitatem replente, non tantum ureteres, sed etiam uiscerum reliquorum, circumiacentium, ipsiusque uteri uasa, cum ouario communia, a pondere incumbente grauiter compressa fuerunt: quo ipso, motu sanguinis impedito, ac secretionibus turbatis, serum tandem in cauitatem non potuit non exstillare. Confirmat hoc ureterum uehemens expansio, ac renum ipsorum flaccities, atque uesicae urinariae compressio: quae omnia, urinae secretionem ualde imminutam, arguunt. Restat igitur tantum, ut de prolapsu uteri, in hoc subiecto obseruato, paucis adhuc agamus. Hic enim in sectione, a uagina prolapsa, adeo extra pubam protractus, inuentus est, ut nullum eius uestigium in pelui apparuerit. Imo

nul-

nullus dubitandi locus datur, eundem adhuc longius elabi potuiſſe, niſi tumor ouarii praegrandis, in fundo ipſi alligatus, obſtaculo fuisſet. Experientia enim docuit, foeminas, prolapſu uteri, aut uaginae laborantes, facta conceptione, & uteri cauitate a foetu creſcente dilatata, leuamen percepiſſe. Tale exemplum *Pechlinus loc. ſupr. cit. obſ. XX.* in foemina, Lugduni Batauorum ab ipſo obſeruatum, recenſet, quae, praeter alia incommoda, uehementi & uaſta uaginae uteri procidentia afflicta fuit: ſingulis nihiloſecius annis domum filio auxit, ac praeterea ſaepius abortiit. Illa enim, quamuis laborioſiſſime & decretorie pareret, non aliud tamen procidentiae remedium quaeſiuit, quam grauiditatem, utpote qua tumor lente retractus fuit intra corpus; idem uero, partu edito, iterum apparuit.

F I N I S.